

IN NOMINE JESU!
EXERCITATIONUM ETHICARUM
DISPUTATIO V.

26

De
**VIRTUTIS NA-
TURA IN GENERE.**

Quam
PRÆSES
M. JOHANNES **Deutschmann**

Jütrebocensis Saxo.

ET RESPONDENS

JOHANNES BENEDICTUS **Schubart**
Halâ-Saxo.

proponent publicè

In Auditorio Minori Ad d. 8. Novemb.
Horis antemeridianis.



WITTEBERGÆ,
TTPIS JOHANNIS HAKEN, M.DC.LI.





I. N. J.
EXERCITATIONUM ETHICARUM
DISPUTATIO V.
DE VIRTUTIS NATURA IN GENERE.
I.

Absolutâ priori Ethicæ parte, quæ de fine ultimo præcepta proponit; posteriorem etiam, quæ *Aretologias* venit nomine, nonnullis disputationibus declaratam dabimus: hanc enim de virtutibus doctrinam ab Ethico esse explicandam, probatur (1) *ex Ethicæ appellatione*: Ethica enim ἀπὸ τῶν ἠθῶν appellationem sortita est, seu à moribus; mores autē potissimum habituales considerat Ethicus, sive illi mali sint, sive boni; *hos* virtutes, *illos* vitia communiter appellare solemus. (2) *ex Ethicæ definitione*: in eâ enim dicitur, quod Ethica hominis animum per virtutes ad consequendum S.B. informet. Exsertis verbis hîc virtutes in definitione notatas legimus; cum autem definitio rei naturam explicet, & omne illud, cujus in definitione sit mentio, directè spectet ad illam disciplinam, utiq; doctrina de virtutibus etiam in Ethicâ est evolvenda. (3) *ex S. B. consideratione*. Summum Bonum finis est Ethicæ, *non immediatus*, quasi sine omnibus mediis, sine ullâ humani ingenij industriâ Deus cuilibet felicitatem velit obtrudere: sed *mediatus*, quia non nisi per certa media acquiritur civilis felicitas. Hæc autem media sunt virtutes, sicut ipsa felicitatis definitio videtur indigitare, dum dicitur: quod sit animæ rationalis operatio, secundum virtutem optimam & perfectissimam &c. Nisi quoque velimus ipsâ privari felicitate, cognoscenda utiq; est doctrina etiam de virtute. (4) *ex partis conditione*. Partes referuntur ad totū, *Aretologia* est pars Ethicæ, E. (5) *ex absurdi evitacione*. Hac ratione frustra de fine multa faceremus verba, nisi certa ad eum ducentia ostenderemus media. Nam *ut vanum est, longo intervallo speratam inveni palmam, si nullo utaris medio, quo apprehendas; ita stultum est, in fluctibus hujus vitæ intueri finem, si nullo utaris medio, quo acquiras:*

A

MOTU

motu corporis palma & motu virtutis beatitudo capitur, inquit Casus in
spec. quæst. moral. l. 2. c. 1.

2. Est autem Aretologia pars Ethicæ posterior, quæ agit de virtutibus,
tanquam mediis ad finem ducentibus. Definitum dicitur Aretologia
ἀπὸ τῶν δευτέρων, h. e. à virtutibus, & ἀπὸ τοῦ λόγου, quod sermo-
nem, sive orationem significat, ut ita Aretologia nihil aliud sit, quàm
sermo, sive tractatio de virtutibus: Continetur enim in hac parte
nihil aliud, quàm explicatio de virtutis definitione & divisione. I-
tem, de virtutum causis & speciebus, & si quæ alia in virtutis theo-
riâ notabilia occurrunt, illa nullibi commodius, quàm hoc in-
loco allegantur, & explicantur.

3. Definitio constat genere, & differentiâ. Genus est, quod sit pars
Ethicæ, idq; ut verissimum colligitur. (1) ex partis definitione: cui
enim convenit partis definitio, eidem etiam convenit definitum:
Atqui de Aretologiâ verum prius, E. Pars enim est, quæ concurrat ad
constitutionem, sive integritatem alterius totius. Totum est Ethicæ:
partes sunt Eudæmonologia, quam hactenus consideravimus, &
Aretologia, quam jam sub manibus habemus: hæ enim ordinan-
tur ad constitutionem totius Ethicæ, & his duabus partibus omnis
etiam absolvitur moralis Philosophia. (2) ex requisitorum generis cõ-
sideratione: prædicatur enim de multis: item prædicatur æqualiter,
& latius est eo, cujus est genus &c. (3) ex receptâ definiendi partes cõ-
suetudine: vulgò enim Philosophorum scholis receptum jam est, ut
partes definiantur factâ mentione totius, non quidem in casu re-
cto, sed obliquo, ita, ut Aretologia non sit Ethicæ, sed pars Ethicæ,
sicut pes non est ipsum corpus humanum, sed saltem pars humani
corporis.

4. Differentia petita partim à proprio, partim ab objecto. Proprium
est, quod sit pars Ethicæ posterior. Ordinis hujus rationes multas al-
legavimus supra disp. 2. th. 4. addimus hîc alias, quarum (1) desum-
ta est à virtutis officio; virtus in Ethicis non aliter consideratur, quàm
ut medium; medium autem quod est, requirit aliquod prius: sem-
per enim illud, cujus est medium, præsupponatur, necessum est, a-
liàs medium esset frustraneum, inutile, imò, nullius rei esset medi-
um. Accedit huc, quod omnem suam nobilitatem media non ali-
undè accipiunt, nisi à suo principali fine, qui si sit ignotus, media
quoq;

quoq; in obscuro relinquit loco; si verò probè sit perspectus, medi-
is quoq; lucem & amabilitatem conciliat. (2) à virtutum scopo; vir-
tutes nos deducunt ad finem, sive S. B. sicut autem omne efficiens a-
git propter certam finem; ita etiam virtuosi nobilissimum respici-
unt finem, qui ut sit præcognitus, non arbitariam, sed penitus ne-
cessarium est: ubi enim est finis ignorantia, nulla ibi suscipitur me-
diorum cura. (3) à virtutum Subiecto: antequam enim multos la-
bores, & sudores suscipiat homo, utiq; aliquo movente opus habere
videtur, nisi frustra suos conatus instituere velit, quia, ut Hesiodus
habet,

Virtutem posuere Dijs sudore parandam.

Hunc sudorem & laborem omnes fugerent, quotquot in Ethico
currunt stadio, nisi felicitatis brabeum sibi præcognitum & pro-
positum haberent. (4) à firmæ rationis contrariæ defectu: Dist. enim
est inter ordinem naturæ intendentis, qui progreditur à perfectis ad
imperfecta, & inter ordinem naturæ generantis, juxta quem proce-
dimus ab imperfectis ad perfecta. Notandum tamen, quod posteri-
or sit Aretologia non ratione productionis, sed propositionis, non
ratione executionis, sed intentionis, non ratione actionis, sed co-
gnitionis.

5. *Objectum* Aretologiae est *virtus*, ut ex ipsâ appellatione elu-
cescit, & ex disertâ virtutis mentione in definitione factâ firmiter
colligitur. Considerantur autem virtutes vel *absolutè*, & *ratione sui*.
Sic dicitur, quod Aretologia agat de virtutibus tanquam habitibus
moralibus; vel *respectivè*, & *ratione finis*, ita dicitur, quod explicet
Aretologia virtutes, tanquam media ad finem, sive felicitatem du-
centia, utrumq; ut attendatur, apprimè est necessarium, sine illo nõ
datur virtutis cognitio: sine hoc nulla fit virtutis ad felicitatem ap-
plicatio; illud declarat naturam; hoc verò ostendit virtutis usum.
Cum verò hæc tota tractatio in virtutibus explicandis sit occupata,
paulò altius rem aggredi, & vires oportet experiri, ne ea, quæ pe-
nitus cognita sunt necessaria, à nobis videantur prætermissa.

6. Virtutis sacrarium, ut consuetâ viâ ingrediamur, dicimus 2.
potissimum esse consideranda, *Ὀνοματολογία*, & *πραγματλο-
γία*: cum enim *nominum cura maxima sit habenda*, Scal. Exercit. I.
sect. I. nos quoq; in virtutis vocabulo 3. potissimum enucleamus,

Α 2

nimi-

nimirum (1) *Etymologiam*, sive vocis derivationem. Variam autem à variis virtutis vox accepit originem. Alii, ut *Durandus*, & *Armandus de bello Vifi* l. 2. termin. c. 72. 88. 107. & alibi virtutem à vi deduci annotarunt. Sed hanc originem esse penitus inconveniētem, patet, tum *ex virtutum principiis*, quæ sunt communia illa practica axiomata nobiscum nata; tum *ex virtutum causis*, quæ sunt actiones spontaneæ, ex consultatione, & electione susceptæ, adeoq; voluntariæ & liberæ; tum *ex virtutum effectis*, in quibus nullus vel excessus, vel defectus conspicitur, nihil immoderati deprehenditur. Cumq; nulla vis, nullus impetus, aut violentia in virtutibus reperiatur, sed omnia sint moderata, meritò hanc originationem suis autoribus remittimus. Ratio enim, quam adducere solent, quod vel per ignem, ut dicitur, ad virtutem sit contendendum, longius est petita, & subjecto minimè accommodata: licet enim per aspera ad astra, & quasi per ignem ad virtutis fastigium contendamus, manent tamen virtuosæ actiones respectu subjecti spontaneæ, neq; quicquam violenti ibi deprehenditur. *Alijs* virtus est quasi *viri status*, quia, sicuti virilis ætas est corporis robusti & perfecti; ita virtus quoq; est animi perfecti, & ad honestas actiones validi. *Aliis* est quasi *viri artus*, quæ vox sæpius honestatem & integritatem denotat, ut ita virtutis nomen ab honore sit desumptum, quia virtute præditis honor maximè est exhibendus. Alii eam Græcæ dicunt esse originis *ἀπὸ τῆς ἀρετῆς*. Ita, ut litera initialis A. cum V. consonante commutetur, & reliquæ literæ per *μεταθέσιν* transponantur. Optima verò plurimorum iudicio est illa derivatio, quam ipse Latinæ linguæ parens *Cicero* adduxit 2. *Tuscul. quest.* dicens: *Appellata est ex viro virtus; viri autem propriè maximè est fortitudo, cujus munera duo maximè sunt, mortis, dolorisq; contemptio. Utendum est igitur his, si virtutis compotes, vel potius, si viri volumus esse, quoniam à viris virtus nomen est mutuata*: Sive enim vox viri ætatem significet, sic viris, non pueris virtus convenit; sive sexum denotet, sic in viris, quam in fæminis virtus frequentior, in viris, quàm in fæminis virtus conspectior. Hanc Etymologiam approbat etiam *Christianus Cicero Lactantius* l. de opif. DE I c. 12. *vir dicitur, scribit, eò, quod major vis in eo, quàm in fæminà, & hinc virtus nomen accepit.*

7. (2) *Homonymiam*, sive multiplicem significationem. Diversimodè

modè respectu diversorum subjectorū vox virtutis accipitur: aliud significat, quādo DEO, aliud quando creaturis in genere, aliud, quādo homini in specie tribuitur: nos tamen ea brevitatis gratia hic omitterimus, & lectorem ad *B. Meisn. dissert. de S. B. p. 353. & seq.* remittimus. Nos h. l. dicimus, quod virtus sumatur (1) *pro virtute naturali*, & sic rem quamlibet benè affectam indicat; Sic in qualibet re, quacunq; etiam illa sit, quicquid perfectionis cernitur, virtuti hoc ipsum adscribitur. Sic quæ DEO adsunt virtutes, ipsi naturales sunt, cum sine his perfectionibus divina natura non sit divina. Sic omne ens suas perfectiones habet, propter ipsam naturam sibi debitas. Ita etiam homo alias respectu corporis, alias respectu animi à naturâ sibi congenitas habet virtutes & perfectiones. (2) *pro virtute rationali*, quæ vulgò intellectualis dicitur, cum mentem perficiat, eamq; in cognitione veri dirigat. (3) *pro virtute morali*, quæ appetitum sensuum rectè informat, & disponit, quatenus nimirum participationem ratio ipsi tribuitur. Quæ uno communi nomine appellantur virtutes *acquisite*, cum neq; à naturâ hominibus sint congenitæ, neq; immediatè à DEO infusæ; sed humanâ industriâ comparatæ. (4) *pro virtute supernaturali & spiritali*, quæ aliàs dicitur Theologica, & Christianorum propria. Primam, & quartam significationem non curat Ethicus, sed illam Physico, hanc Theologo relinquit; secundam verò, & tertiam, utpote nostrâ acquisite operâ potissimum intendit & attendit.

8. (3) *Synonymiam*, sive diversam appellationem. Dicitur virtus aliàs *καλοκαγαθία*, sive *habitus benè agendi*. Item *αρετή*, *animi singulare exercitium*, & *industria*. Eadem ratione dicitur etiam *honestas*, *integritas* &c. Græcis est *ἀρετή*, quæ dicitur vel ab *ἐργάω*, *diligo*, ut sit, quasi *ἐργατή*, *in se amabilis*, & *dilectione digna*: vel ab *αἰρέω*, *eligo*, quasi *αἰρετή*, quod ab omnibus sit *eligenda*, & quia nulla actio à virtute est denominanda, nisi quæ certo animi iudicio, & *ἐκ ἀρετῆς* est suscepta: vel ab *ἀρέσκω* *placere*, quia omnibus placere debet; vel *ἀπὸ τῆς αἴψης*, ab *attollendo*, quia animum ad summa elevat, & attollit, atq; quasi in coelum effert: vel ab *ἀρῶ* *congruo*, *apto*, ut *ἀρετή* dicta sit, quasi *congruentia*, sive *convenientia* cum rectâ ratione: vel *ἀπὸ τῆς ἀρῆς*, à *Marte*, sive *bello*, quia in bello vel maximè opus est virtute, illa etiâ nullibi melius, quàm in bello inclarescit.

rescit. Germ. dicitur *Zugend* à *Zaugen*/vel *Zügen*/ quod est *valere*, & *fructuosum esse*: est enim virtus animi valor, multumq; valet in omnibus statibus, inq; omnibus actionibus: Sive enim publica & civilia, sive privata & domestica examinemus, ubiq; maximus virtutis usus & fructus cernitur.

9. *Pragmatologia* explicat virtutis tum *naturam*, tum *affectionem*. *Natura* consistit tum in *definitione*, tum in *divisione*. Quod attinet *definitionem*, eam cum *Præceptoribus nostris* talem adducimus: *Virtus est habitus animi, qui informat mentem humanam, ut verum perfecte cognoscat, & bonum constanter eligat, & faciat.*

10. *Definitio* virtutis constat *genere*, & *differentiâ*. *Generis* loco ponitur *habitus*, ejusq; veritas confirmatur (1) *ex falsi generis remotio- ne*: *Stoici* enim dicunt, virtutem esse *vacuitatem humanarum perturbationum, animiq; tranquillitatem*. Verum, fundatur hæc assertio in falsâ hypothesi, quasi perturbationes penitus ab humanâ naturâ exulare debeant, rationiq; directe sint contrariæ. Deindè *vacuitas* est *privatio*; virtus est verum ens positivum; nulla autem *privatio* entis positivi genus esse potest, *Eudoxus & Epicurus*, qui S. B. in voluptate collocarunt, talem virtutis definitionem proposuerunt: *Virtus est constans dispositio eliciendi ex unoquoq; congruentem voluptatem*, Sed hæc definitio nihil minus, quàm veram virtutis naturam explicat, neq; verum genus, quod tamen in omni verâ definitione apprimè necessarium est, adhibet: cum enim dispositiones omnes sint imperfectæ suamq; perfectionem accipiant ab habitu, à quo perficiuntur; virtutes autem sint perfectæ, hinc notissimum est, quod virtutes non sint dispositiones. Sic etiam reliqua in hæc definitione sunt minus congrua, quia saltem accidente quodam virtutem circumscribit: *Voluptas* enim potius comes & assecla virtutis, & S. B. quàm ipsa ejus natura & essentia. (2) *ex habitus definitione*: definitur habitus, quod sit qualitas, crebris actionibus comparata, quæ subjectum idoneum reddat ad actiones facilè & cum delectatione exercendas. Atqui virtus est talis. E. (3) *ex sufficienti inductione*: virtus enim non est substantia, sed accidens; inter accidentium genera autem ad nullum, præter qualitatis prædicamentum potest referri, cum propter virtutem denominentur virtuosus: inter qualitatis etiam species ad solam primam, & consequenter ad habi-

habitu[m] reducitur. (4) *ex habitus divisione*: habitus enim sunt vel principales, vel instrumentales. Illi sunt vel intellectuales, vel morales, alio nomine dicuntur virtutes intellectuales, & morales. Si ergo omnes virtutes tam intellectuales, quam morales sunt habitus, sequitur, quod etiam virtus in genere sit habitus. Atqui verum est prius, E. (5) *ex subjecti consideratione*. Virtus omnium consensu est habitus non corporis, sed animi; jam secundum *Arist.* l. 2. *Eth.* c. 5. in animo existunt tria, *affectus, potentia, & habitus*. Virtus ergo aut est affectus, aut potentia, aut habitus. Quæ propositio ideò vera censi debet, cum hæc tria saltem in animo reperiantur, tanquã actionum humanarum principia: licet enim in animo plura sint, utpote *ἐνέργειαι*, operationes, notiones, &c. non tamen sunt, ut actionum principia. Virtus autem neq; affectus, quod 4. rationibus confirmat *Arist.* d. l. (1) quia propter affectus neq; boni, neque mali dicimur. Atqui propter virtutes dicimur boni, & propter vitia mali. E. (2) quia propter affectus neq; laudamur, neq; vituperamur, quod tamen fit propter virtutes & vitia. (3) quia affectus sunt *ἀνευ προαίρεσιως*, suscipiuntur sine omni consilio & proposito, sed virtutes omnes sunt ex electione. (4) propter affectus moveri, *κινεῖσθαι*, dicimur, quia animus illis quodammodò perturbatur, & quasi mutatur: sed propter virtutes *ἐκινεῖσθαι, ἀλλὰ ἀνεκινεῖσθαι* dicimur, non perturbari, sed formari & confirmari. Accedunt ad has *Aristotelis*. (5) quod affectus nobis sint naturales; virtutes usu & exercitatione acquisiti. (6) quod affectus sint repentini & subitanei motus; virtutes verò constantissimi habitus. (7) quia affectus sunt in tertiâ specie qualitatis; virtutes verò in primâ. (8) quia affectus non tantum in hominibus reperiantur, sed etiam reliquis brutis animantibus sunt cõmunes, virtutes verò soli hominib; sunt propriæ. Deindè etiam virtutes non sunt potentiæ ob easdem fermè rationes; remanet ergo solus habitus. (6) *ex habitus constitutione*: Tria communiter ad naturam habitus spectare dicuntur, (1) *Φύσις* sive *natura*: nam ad quod à naturâ sumus inepti, nunquam illud per habitum acquirere possumus. (2) *μάθησις*, *disciplina*: quæ naturam excolit, & per varias, easq; utilissimas præceptiones perficit. (3) *ἄσκησις*, sive *humana industria*: ut enim il-

la sine

la sine ista infrugifera; ita etiam ista sine hac planè emortua. Jam si virtutes examinaverimus, in qualibet etiam hac tria deprehendimus principia, quæ, cum cuilibet sint obvia, nullâ uberiori commentatione indigent.

11. Virtutes autem dum habitus dicimus, nequaquam intelligimus habitus à naturâ nobis congenitos, cum illa in scholis Philosophorum decantata sit sententia, virtutes perfectas nemini naturâ inesse: neq; etiam attendimus hinc habitus supernaturaliter, & immediatè à DEO infusos: hi enim non Ethicæ, sed Theologicæ sunt considerationis, neq; Ethicæ virtutes requirunt tam extraordinariam DEI infundentis gratiam, quàm hominis virtute imbuendi industriam. Ex quibus facilè illud colligimus, non nisi habitus acquisitos, & humanâ industriâ introductos esse intelligendos.

12. *Differentia* desumitur partim à *subjecto*, quod sit habitus *animi*, id quod probatur. (1) *ex virtutum naturâ*: quia sunt qualitates; qualitates autem referuntur ad formam, sicut quantitas reducitur ad materiam, (2) *ex virtutum officio*; virtutes sunt media ad S. B. deducentia; media autem cum fine ratione subjecti solent convenire: nisi enim fieret legitima mediorum applicatio, frustranea esset omnis exercitatio. Jam, quia S. B. est operatio animæ rationalis, etiam virtutes ad animam sunt referendæ. (3) *ex virtutû objecto*. Objectum virtutum moralium sunt affectus, affectus sunt in animo. E. & habitus suam in animo sedem habebunt. (4) *ex virtutum effectu*: virtutes intellectuales perficiunt mentem quoad cognitionem veri; morales voluntatem quoad actionem boni; uterque autem effectus in animo reperitur, E. etiam causa ibi sit necessum est. (5) *ex sufficienti virtutum enumeratione*: virtutes enim in intellectuales & morales dividuntur; illæ in intellectu, hæc in voluntate suam fixere sedem; cum autem intellectus & voluntas sint animæ facultates, etiam ipsæ virtutes erunt animi habitus.

13. Partim *ab officio*, quod est *informare mentem humanâ*. Non dicitur virtus *formare* mentem nostram, cum hoc ipsum sit opus naturæ; non dicitur mentem *reformare*, cum illud sit specialis gratiæ, ut ita mens nostra cum omnibus facultatibus, corpus nostrum cum omnibus membris renovetur, & reformetur. Sed dicitur infor-

informare, id quod est humani laboris, & industriae: Quia enim mens nostra quoad cognitionem veri, & operationem boni etiam in naturalibus, & civilibus valde est labefactata, non sine divina providentia sapientissimi homines hosce mentis habitus invenerunt, excoluerunt, & ad suam posteritatem transmiserunt, ut ita qualemcumque medicinam etiam ex suis viribus haberet homo, quam mediante animi perfectio ipsi restitueretur, cum virtutes reipsa nihil aliud sint, quam animi perfectiones.

14. Partim à fine, & effectu, qui potissimum duplex est, alter respectu virtutum intellectualium, alter respectu moralium. Ille est, ut verum perfecte cognoscamus; hic vero, ut bonum constanter eligamus, & faciamus. Sed cum satis multa de virtutis definitione sint adducta, clausula etiam hinc disputationi nostrae sit imposita.



Ad Per-Eximium atq; Praestantissimum Dn. RESPONDENTEM amicum suum per dilectum.

Ethica virtutis quae sit natura revelat;
Ethica permultum dogmata nosse juvat.
Nosse virum doctum virtutes condecet; illas
Testari factis propria signa probi.
Est probus & sapiens quisquis conjungit utrumque,
Perficit hinc mentem: perficit ille virum.
Talia si verbis testaberis, Optime Schubart,
Factaque conjunges, doctus, erisque probus.
Et tibi, quae cunctos ornat, gratissima Virtus
Cultori referet plurima dona suo.

quod optat

M. JOHANNES Dentschman.

Publica

Publica fama refert: *Virtutis & Artis amator*
Premia semper habet digna labore suo,
Sic etiam Pallas, Phœbusq; novemq; Sorores
Cultores nōrunt nobilitare suos.
Non opus exemplis; *Tua* comprobat ardua *Virtus;*
Incluta Virtutis gloria, sola manet.
Perge Tuis studiis cœpti pertexere telam,
Quò *Sophies cultor* sis, maneasq; precor.

Gratulationis ergò amicissimo Dn. Commensali
L. M. Q. applaudebam

ISRAEL MULLERUS
Mündâ-Saxo.

Schubart immer werther Freund / bistu Pindisch
nicht gewesen / (sen 2
Da die Saale sich ergeuß / Und da Gneintzius gele=
Schiekte dich nicht Halle hin / daß du soltest in der Jugend
Hier wo Zehna Phöbisch ist / kaufē Kunst un̄ adle Tugend?
Siehe! Euer Wittenberg kansu kaum auch recht beküssen /
Muß dein fliegend Sinnen-fahn von der pracht der Tugend
wissen.

Nun ersiege dein geschlecht / dir wird wohl dein stand be=
bleiben /

Weil die Saal und Elbe dich schon der nach-Welt ein ver=
leiben.

Dieses übersendet dir aus Zehna
dein ergebener

Abaszverus Fritsch / von Mûcheln /
der Rechten Besliffener.

✻ [†] ✻

90 A 6406

ULB Halle 3
002 916 622




56

Retro V

VDMA







JESU!
 ETHICARUM
 IO V.

26

IS NA.
 GENERE.

S
 Deutschmann
 Saxo.

DENS
 CTUS Schubart
 KO.
 llicè
 d. 8. Novemb.
 idianis.

 GÆ,
 KEN, M.DC.LI.